

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Turbo, sive moleste et frustra per cuncta divagans
ingenium**

Andreä, Johann Valentin

Altorfii, 1620

Veritas

[urn:nbn:de:bsz:31-138638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138638)

Opinio prima egreditur, Regiè induta,
sed variegata, cum libro aperto, co-
gitabunda, quæ cum muta semel
aut bis obambulavit, regreditur;
sequitur,

Veritas.



Hanc, quam vidistis egredien-
tem, deambulantem, ingredientem,
quam esse quæso creditis spectatores?
Reginam, quia coronata, potentem,
quia cum sceptro, Eruditam, quia cum libro, fe-
licem quia ornatu abundat; prudentem, quia co-
gitabunda; undiq; tandem politam, quia inces-
sum est metita? Vah erratis! *Opinio est, Opinio.*
Illa, quæ superiorum opera dirigit, inferiorum
labores incrustat: Sciorum Sapientiam auget,
Ignorantium stuporem declinat; Divitum mise-
rias tegit: Pauperum indigentiam acuit: Artifi-
cum ingenia fovet: Rusticorum duritiam conti-
nuat: Sophistarum lites conservat: Simplicium
admirationem promovet: Conjugum cruces ex-
tenuat: Cælibum errores excusat: Curiosorum
arcana involvit: Supinorum neglectum appro-
bat: Quid opus est verbis? Nemo est è vobis, ne-
mo in tanta ingeniorum varietate, cui illa sese
non exactè accommodet, cui non illa subrepat,
quem non vincat, cui non sua commendet.
Huic genus, huic honores, huic potentiam, huic

A 4

Artes,

Artes, huic labores, huic linguas, huic Amores,
huic vinum, huic vestes, huic otium, huic aliud
quid insinuat, & rebus minutissimis superbire fa-
cit. Illa est, quæ pupas vobis distribuit, quibus lu-
ditis, auriculas imponit, quibus triumphatis, no-
las assuit, quibus personatis, magni juxta ac mini-
mi viri, fæminæ, juvenes, virgines, pueri, puellæ.
Sed quid ego? nisi ut odiosa vobis sim, ut quod
soleo, præmium accipiam. sed quiescite tamen.
Jam ego vobis producam *Opinionis bellum Ne-
potulum Turbonem*, quem è vobis multi agno-
scent, multi ridebunt, multi miserabuntur, pauci
ita intruebuntur, ut quod in eo vitiosum emen-
dent, & ad solidam mentis quietem sese compo-
nant. Lepida actio erit, spectatores: vos
animis & silentio obsecro
adeste.

ACTVS